

sexquiquinta seu semiditonus constat tono integro, qui est inter 90 & 80. & semitonio plusquam maiore quod est inter 96 & 90. & est sexquiquinta decima, quam maior est tono maiore $\frac{1}{23}$. Propterea dicemus causam esse quæ posito semiditono inter 81. & 96. id est, 27. & 32. sublato tono, id est, 234 & 216 remanebit 13. differentia 256. ad 243, seu qualis est 96 ad 91. & $\frac{1}{8}$. quæ est vt 768. ad 729. & redit ad idem, scilicet, vt 256. ad 243. 13. autem est paulo plus decimanona, ergo multo minus semitonio minore, secundum mentem ergo Ptolemæi, posito tono inter 135. & 120. & semitonio maiore inter 128. & 120 remanebit semitonium minus ferme inter 19. & 18. id est, 133. & 126. quæ proportio differt à 135. & 138. Si quis autem bene animaduertat sexquioctagesima illa adimitur ex tono & additur semitonio minori, & hæc est causa quod semitonium maius Ptolemæi sit concinnum, quia additur tonis imperfectis. Dimidium autem semitonij minoris est inter 36. & 55. & vocatur comma: & est minus & maius. maius est inter 35. & 34. rursus comma minus diuiditur in duas dieses, minorem, quæ est inter 72 & 71. & maiorem, quæ est inter 71 & 70. & idem manet difficultas quomodo intenta voce per diesim fiat melior consonantia? nam de remissione possemus dicere quod accipitur loco sexquioctagesimæ: sed in sexquioctagesima remittitur de tono secundum mentem Ptolemæi, in diesi intenditur semitonium minus, sicut ostendit experimentum, sed forsitan conueniunt quia intentio semitonij minoris deducit semiditonum ad sexquiquintam: est enim differentia semitonij minoris intenti hoc modo ad semitonium minus, vt 136. ad 135. sed hoc est longè minus sexquioctagesima, vnum sat est, hanc esse vltimam diuisionem toni in octo partes, & vt in diatonico toni dominantur, ita in chromatico semitonia in enarmonico diessè, sed dieses fugitando (vt ita dicam) ac aures vellicando, mirum in modum oblectans audientes: velut toni stando, vnde etiam nomen, semitonia medium modum obtinent.

Tertium genus proportionis (omitto modò diuisionem temporum binarij, ternarij, quinarij, qui vltimus est eorum quos sensus recipiat, nam septenarius propinquior est binarij diuisioni ob octonarium, & modos illos satis notos Doricum, Lydium & Phrygium, ac eiusmodi) est Ptolemæi: rursus qui cum videret despectam futuram musicæ contemplationem, conatus est illius aliquod singulare emolumentum ostendere, quemadmodum fecit & in libro de Prædictionibus, existimans ni illos composuisset veluti præmium ostendentes tanti laboris quantus necessarius videretur ad intellectum librorum Magnæ compositionis. futurum esse, vt hi negligenter, ergo & hoc in musicæ libris ostendere molitus est, scilicet, præclarum esse aliquem huius contemplationis finem, quod vtinam non fecisset, ne illud verè de eo dici posset:

— Non omnia possumus omnes.

Virum enim hunc supra omnem humani ingenij metam fuisse non negamus: sed hanc partem quam hic agit, aded infelicitè tractat, vt malim credere totum illum tertium librum fuisse ab aliquo alio adiectum. Etenim quid turpius sapienti homini quam imitari vulgares illos? septem planetæ, septem mundi miracula, septem artes liberales: quid enim similitudo numeri iuuare potest, aut quam afferre vtilitatem? nimis certè indignum est vt argumento à similitudine sumpto: tum maximè aded leui. Sed quoniam constat omnia quæ in mundo sunt coniuncta esse, & necessitate vinciri, ided cum finis ipse verus sit, non tam debemus Ptolemæum damnare, quæ non probauerit, quam laudare, quod veritatè sine ratione sit affecturus. Sæpe. n. accidit huiusmodi viris aded præstantibus vt veritas detegatur, quam cum illi, vt mos est hominū rationibus adornare nituntur, transgredientes metam muneris, in absurda & ineptias incidunt. Ergo id modò declarare aggrediar, supponens quod verum est, scilicet hanc musicam concinnitatem cum diuinis connexam esse, & ab illis originem ducere. Verum dubium est, an soni propter numeros iucundi sint, an propter aliud; & si propter aliud, cur ergo numeri ad hoc sunt necessarii? & cur obseruare eos oportet ne ab illorum ordine disiungi possint? Hoc autem perfacile intelligitur, & à nobis aliàs declaratum est, scilicet delectare nos, quæ percipiuntur quæque ratione facta videntur, quoniam in his naturæ vis relucet, & imago vniuersi, ergo delectant nos, quoniam naturæ ordine nos constamus. Illud difficilius longè quod tamen diligenti obseruatione dignum videtur, scilicet, quoniam pacta harmonia cum rebus cælestibus aut humanis coniuncta sit. Forsan & illud ab re non esset intelligere, cur nullum animal præter hominem capax sit harmoniæ? an forsitan quoniam solus homo ratione participet, & ob id solus gaudet ratione? ordinata autem ratione constant aut sola aut maximè, numerus autem quid aliud est quàm ordinis separatorū imago. Porò hæc accipienda sunt ex quæhis sensibus deprehenduntur, qualia sunt quod animus mouetur & varios affectus induit iuxta harmoniæ diuersitatem lætitiæ, tristiciæ, impetus, remissionis, timoris, spei, iracundiæ, & commiserationis. Nos enim maximè octo affectus mouent musicæ modulationes. Secundum quid autem mouent? vel quia consonæ aut dissonæ, vel quia concitatæ aut tardæ, vel quod maius est quæ tendant in acutum ad alacritatem, vel in grauem definant & remissum sonum commiserationem, & lachrymas, aut etiam ex modo tetrachordorum. Illud sanè non obscurum est, animam cum sono maximè esse coniunctam, nam neque odoribus vt odores sunt, neque saporibus, aut his quæ tanguntur licet plurimum delectent, aut etiam lædant, anima mouetur ad affectus, licet, vt dixi, magis homo delectetur, aut tristitia afficiatur quemadmodum ex sonorum